DE METHODO ABORTIVA IN TYPHO APPLICANDA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XX. M. MARTII A. MDCCCXLIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

MAURITIUS WIESENTHAL
SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS
G. KLEEFELD, MED. ET CHIR. DD.
TH. SIEGERT, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PATRI OPTIMO CARISSIMO

NEC NON

MATRI CARISSIMAE

D. D. D.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Quum non sit propositum mihi, de typhi natura et cuncta medendi ratione, sed de methodo tantum illa, quam dicunt: abortivam, agere; quum causam non habeam ligna in silvam conferendi, eo ut permagnum sententiarum et controversiarum numerum, quae jam de morbo illo sunt allatae et diligenter conscriptae, frustra augeam, sed periculum tantum facere velim, facta afferendi, ut mihi videntur gravia ad demonstrandum methodum illam abortivam non esse somnium, brevi tantum quae de Typhi historia et natura constant, afferre mihi liceat. — Typhus, quum saepissime occurrat et in hominum vitam horribili modo grassetur, jure omnium omni tempore medicorum animos in se convertit. Morbum illum: febrem typhosam: pestilentialis, putridae, malignae febris nomine veteres nuncupabant. Ex his jam apparet, antiquitatis medicos de hoc morbo ita ferme cogitasse et judicasse, ut nostrates. Nomina recentiori tempore ei subdita, tam di-

versas, tamque perversas de eo sententias suo cumulo genuerunt, ut quemvis torpidam speciem prae se ferentem morbum, typhum nominent.

Ex novissimis scriptoribus Clariss. Eisenmann: „Die Krankheitsfamilie Typhus", Erlangen 1835, et Ill. Schoenlein: „Krankheitsfamilien der Typhen" etc., Zürich 1840, maxime de cognoscenda naturâ morbi meruerunt.

Multum enim inter doctos disputatum est, quaenam sit causa morbi, et praecipue his viris constat, non vapores ex humo emanantes putridos, neque potum aquae putridae, neque nutrimentorum putrescentium usum, neque aëris noxias solas esse causas morbi, sed contagium quoddam nobis ignotum, typhosum, causam esse proximam, cui noxia illa adjuvantia accedunt; quamvis concedendum est, morbum sporadice et sine existentia contagii nobis obvenire. Cura, timor, moeror, pavor, denique affectus deprimentes hominem morbo praedisponunt, quare ex historia videmus, semper in exercitibus fugatis, in quibus summa desperatio, typhum primum esse ortum.

Sed liceat accedere ad symptomata et stadia morbi ipsius et morari in illo praecipue stadio, quod applicationi nostrae methodi abortivae maxime aptum.

Non minus totius morbi decursus, quam singula ejus stadia typum sequuntur septenarium, primoque

adspectu tria nobis occurrunt stadia, primum: irritationis, alterum: depressionis sive nervosum, tertium: criticum.

Saepius irritationi

Stadium prodromorum

praeire solet. Facies mutata, defatigatio, angor et inquies, depressio animi et tristitia, sensus obumbratus morbum ineuntem gravem quasi praesagiunt una cum appetitu deminuto, gustu amaro, siti semper augescente. — Incertum est hujus stadii spatium, neque symptomata satis certa ad cognoscendum morbum, quod quidem momenti est ad rationem medendi. Morbus enim ipse ab eo inde tempore ponitur, quo magis sunt conspicua indicia, a primo, dico, frigoris impetu, quem aestas sequitur permanens.

Stadium erethicum.

Vehemens capitis dolor, ab occipite ad frontem procedens, magna virium prostratio saepissime hoc stadium indicant; accedit stupor; aegrotus in dorso jacet, facies omnino nullam prae se fert cogitationis speciem. Nulla fere deliria, etsi agrypnia continua raro tantum somno interrumpatur. Lingua humida valde obtecta praecipue versus centrum; sapor vapidus fit, humiditas oris aliquantum diminuta est et

sub finem hujus stadii magis magisque cedit. Aegrotus saepe de doloribus faucium et de dysphagia conqueritur. Sitis est magna; inprimis potus aciduli et aqua frigida appetuntur. In typho abdominali praesertim: abdomen initio molle affirmante aegroto non dolet; si autem accuratius perscrutaris, jam in hac periodo hic et illic auctam invenies sensibilitatem. Plerumque meteorismus adest. Alvus aut obstructa est, aut quod saepius fit diarrhoëa adest. Urina rara secreta, saturatior quam statu normali est semperque aliquid turbidi habet. Secretio cutis in plethoricis hominibus plerumque suppressa est. Ad haec telae mucosae respirationis apparatus affectio accedit et febris vehemens. Sub finem hujus stadii saepe exanthema typhosum oritur: parvae maculae roseae, vix supra cutem eminentes, hic et illic in ventre dispersae, raro tamen in extremitatibus observatae.

Stadium depressionis.

Septimo fere post exortum morbum die, raro tantum ante vel post hoc tempus, morbus speciem omnino excultam exhibet: vires aegroti magis magisque prosternuntur, ita ut vix corpus movere possit, non raro magna debilitas musculorum et organorum excretioni addictorum exstat, quo fit, ut saepissime secessus involuntarii oriantur inscio ae-

groto. Interdum ischuria intrat. Ubi virium prostratio ad majorem gradum evehitur, subsultus tendinum in brachiis et pedibus apparent. Cerebri functiones graviter laborant et aeger in magnam somnolentiam incidit, ex qua difficulter et per parvum tantum temporis spatium excitari potest. Stupor adest perfectus et coma somnolentum saepe per plures dies perseverat, ita ut si stupor semper augeatur, hoc imminentis morbi indicium sit. Aliquando etiam deliria vel furibunda adsunt. Sapor saepissime alienatus, oculi splendore privati sunt. Pulsus frequentia in hoc stadio maxime augetur, fit parvus debilis, tremulus, interdum intermittens, filiformis. Exacerbationes vespertinae jam fiunt obscuriores. Calor mordax, sitis vehementior, totum cavum oris, labia et lingua arida fusco vel nigricante et splendente muco obtecta mortis obstantis periculum indicant. Meteorismus saepe vehementissimus fit, urina prorsus obscura.

Haec quidem

Stadia irritationis et depressionis

in simplici atque regulari morbi decursu stadio nervoso vel asthenico antecedunt; illud ne longius sim, iis potissimum continetur indiciis, quae P. Frank in tractanda febri nervosa versatili descripsit, hoc, iis quae de nervosa stupida composuit. Quae quidem

stadiorum consecutio ad tollendum morbum necessaria videtur. Nam perturbato ordine tristior eventus solebat esse. Inprimis autem morbus aegre ferebatur, ubi stadio irritativo longius perseverante erethicam febris formam ultra septimum diem tenebat. Materia igitur, aut morbum procreans aut morbo effecta in nervorum systema irritandi quandam ac stimulandi vim exercere videtur, quae quo diutius permaneat eo certius et citius vires exhauriat organicas, quae ne restituuntur quidem digestione, prorsus fere per morbum sublata. In typho igitur quaecunque magnam corporis aut irritabilitatem aut debilitatem, quae ubique conjunctae ingredi solent, indicant periculum minantur. Quare animi stupor et corporis torpor exoptatiora sunt indicia, quam magna utriusque concitatio, quae conquiescere aegrotum in cubili non patitur. Item supinum jacere aegrotum, porrectis manibus et divaricatis cruribus, quamvis haud careat periculo libentius tamen observatur, quam perpetua membrorum et corporis jactatio. Obtusum autem aurium sensum, meliorem exitum polliceri, quam acutissimum, inter omnes constat. Quid dicam de pulsu, qui quamquam fallacissimum hujus morbi signum appellatur, frequentior tamen ac variabilis, magnum sanguinis orgasmum indicans, pejoris ominis est, quam aeque ac modice concitatus. Quanti autem, quum vigiliae

tantopere conficiant aegrotum, somnus aestimandus, ex praestantissimi P. Frank et ingeniosissimi Schoenlein verbis intelligi licet, quorum alter sine somno ne ulli quidem meliorum indicio fidendum esse contendit, alter eum tanquam animi crisin appellat.

A septimo inde morbi die e

Stadio critico

cognosci licet, utrum morbi eventus bonus an malus sit futurus. Bonus est exspectandus exitus, si diminuitur symptomatum impetus; si sopor in tranquillum somnum abit, oris et linguae superficies humida redditur, meteorismus minuitur, pulsus minus frequens et plenior fit, nonnunquam sudor levis exoritur et cutis mollitie quadam impertitur, qua antea carebat, excrementa magis flavo colore et meliore consistentia praedita apparent. Urina, quae in stadio acmes turbide et acide nunc neutraliter se habet, copiosissima, aquosa, flavescens et subturbida fit, sedimenta format, in quibus nec urea, nec salia urica, sed potius acidum phosphoricum cum ammonio conjunctum. Pro certissimo convalescentiae signo ciborum appetitus et faeces normales habendae sunt.

In convalescentia aegroti appetitus ciborum et coëundi cum altero sexu fere nunquam satiandus

maxima afferunt pericula. Praeterea decubitus facile in gangraenam abit. Saepissimum residuum typhi inflammatio parotidis glandulae invenitur, anaesthesia optica vel acustica. Non raro ex typho abdominali, ulceribus formatis, phthisis abdominalis aut intestinorum perforationes nascuntur.

Si vero exitus est letalis, symptomata antea allata crescunt; respiratio fit difficilis et stertens, crepitatio in pulmonibus auditur, respirationes celeriores fiunt, vultus rigidus et facies Hippocratica, vox tremula et suppressa, pulsus innumerabilis finem morbo imponunt et aegroto.

Opportunus in omnibus, quorum historiam morbi hic allaturus sum, aegrotis exitus mihi permittit, quod alias in cadaveribus invenitur, mittere et ad enarrandas ipsas morbi historias adire. Quo facto de cuncta, praecipue vero de nostra medendi ratione dicturus sum et periculum facturus, stadium morbi et symptomata cum indicantia demonstrare.

1. Aegrotus W., vir fortis, triginta annos natus, puer octo annorum febri intermittenti affectus erat, ex qua per novem menses laborans, in hypochondrio sinistro, lienis situi respondentes ictus, inter laborem aucti, remanebant. Die 14 m. Febr. in nosocomium caritatis receptus est. Undecimo die ante subito defatigatione, sapore vapido, nausea, quam semel vomitus sequutus est, dolore in regione

supraorbitali, inquiete, agrypnia, somniis inquietis, frigore cum aestu mutante affectus est, nullius sibi conscius causae.

Die 10. m. Febr. brevi tempore post coenam meridianam: frigus duas horas perdurans in aegrotum incidit, quod aestus sequutus est. Tum sudor per noctem usque ad matutinum tempus, quem remissio usque ad vesperam sequutus est.

Status praesens, die 14. m. Febr. Caput est obumbratum, vertiginosum; oppressio in regione frontali, susurrus aurium. Lingua versus centrum flavo vel nigrescente integumento obducta, arida est, in margine et apice rubra, humida; inter margines et centrum videbatur integumentum sordide album. Sapor est vapidus, sitis nonnunquam aucta, appetitus fere nullus. Regio epigastrica et tota alvus est tensa, aliquantulum justo elatior, dolorosa. Exoneratio alvi est retardata. Ex inquisitione respirationis organorum inveniebatur in posteriori parte dextri thoracis lateris: inde ab apice scapulae: sonus ex percussione fractus, rhonchus mucosus, tussis parca. Sputa erant glabra et cruenta. Pulsus magnus, plenus, mollis, nonaginta sex ictuum; temperatura cutis erat aucta, ipsa cutis humida, glabra. Hic et illic in collo maculae animadvertebantur petechiales.

Die 14. m. Febr. aegrotus de somno inquieto,

interrupto haemorrhagia e dextra nasi apertura, querebatur, post quam capitis antea valde aucta oppressio diminuta est, status gastricus vero ita commutatus, ut lingua magis arida, alvi tensio aucta, regio coecalis dolorosa, strepitus, sic dictus, coecalis appareret.

Respiratio erat quieta, profunda. Usque ad scapulae dextrae spinam rhonchus mucosus et respiratio bronchialis audiebatur. Eadem symptomata non minus in sinistra et posteriori thoracis parte inferiori animadvertebantur ac in anteriori dextrae thoracis parte. Sonus ex percussione inde a spina scapulae usque ad basin fractus, infra scapulam tympanicus erat. Tussis erat parca, sputa cruenta, purulenta, mucosa; facile ejiciebantur. Pulsus dicrotus, centum et octo ictuum. In venis jugularibus, id quod Galli: bruit de diable, nominant audiebatur.

Quae quum ita essent, cum venaesectio decem unciarum et applicatio decem cucurbitacearum indicata videbatur, tum Calomelanos doses tres quaternorum granorum in tribus vicibus sumendae, praescriptae sunt. Sanguis e vena effluens crusta phlogistica erat obductus. Post haec oppressio capitis diminuta, cutis mollis, humida, in fronte subfrigida, glabra facta erat. Urina erat saturata, rubra, aliquid turbidi habens, justo acidior.

Die 16. m. Febr. Somnus inquietus fuit, et saepe interruptus. Capitis oppressio paene nulla.

Post tres exonerationes alvi molles, pulti similes, virides alvi tensio et dolorositas erat diminuta. Strepitus in dextri coli curvatura perdurabat.

Tussis non valde fortis neque molesta. Sputa parca, globosa, subrubra. Sonus ex percussione idem ut die antecedenti, crepitatio infra angulum internum scapulae. Urina parca, rubra, aliquantulum turbida, valde acida. In cute petechiales maculae auctae erant. Pulsus magnus, plenus, fortis, octoginta octo ictuum.

Vespertino tempore ejusdem diei tussis paene nulla; sputa mucosa, purulenta, parca. Sonus ex percussione fractus, usque ad dextrae scapulae spinam. Status gastricus melior factus erat, appetitus auctus, alvus plana, non dolorosa. Urina minus rubra et acida. Una excretio alvi viridis, mollis.

Die 17. m. Febr. Somnus erat quietus per totam noctem. Lingua versus centrum sicca, in apice rubra, perglabra, siccicans. Temperatura cutis aucta; ipsa cutis mollis, humida. Urina parce pigmento tincta, subrubra, acida. Excretiones alvi eaedem ut die antecedenti. Pulsus dicrotus, magnus, plenus, mollis.

Symptomata in apparatu intestinali et respirato-

rio in diem diminuta, aegrotum vicesimo primo die m. Febr. sanum mitti permittebant.

2. Puella M., viginti annos nata, jam diu dysmenorrhoëa laborabat. Menses parcae, dimidium tantum unius diei perdurabant, nonnunquam etiam omnino non intrabant.

Die 5. m. Januarii in nosocomium recepta, jam viginti et unum diem catarrho bronchiarum erat affecta. Sex dies antequam est recepta, aegrota vespertino tempore frigorem sentiebat, quem ardor magnus, sitis, cephalaea vehemens, vertigo, oppressio capitis, susurrus aurium, nausea, vomituritiones sequutae sunt. Accedebat deinde inopia appetitus, sapor vapidus, siccitas oris, agrypnia, anxietas, defatigatio membrorum.

Quarto antequam recepta est die aucta epigastrii et alvi sensibilitate, obstructione alvi turbata est.

Status praesens: lingua in radice albo integumento obducta, in apice et marginibus rubra est et humida. Cavum oris erat aridum. Aegrota de ructu putrido conquerebatur et de nausea; appetitu carebat. Regio epigastrica totaque alvus tensa et inter tussim et si comprimebatur, valde dolorosa. Saepius borborygmum in alvo sentiebat; exoneratione alvi jam quarto die carebat. Oppressio capitis eadem, quam ante diem receptionis; tussis erat fortior, sed

sputa parca. Pulsus erat parvus, facile comprimendus, centum viginti ictuum; cutis arida, sitis magna. Urina subflava, aliquantulum turbida, acida.

Aegrotae gr. decem Calomelanos praescripta sunt, praeterea frictiones alvi unguento mercuriali cinereo instituta sunt.

Die 6. m. Januarii. Aegrota repetito vomitu contenta mucosa ejicit; somno gavisa est quieto et duabus exonerationibus alvi flavis, tenuibus. Praeterea nulla symptomatum mutatio.

Dosis granorum decem Calomelanos iterum praescribitur adjuncta applicatione cucurbitacearum octo in regionem coecalem, pulsus centum decem ictuum.

Die 7. m. Jan. Aegrota somno plane caruit, continuo tenesmo sedibusque maxime frustraneis turbata, sex excretiones alvi tenues, virides. Lingua in marginibus et in apice minus rubra est, versus radicem flavo integumento obducta, humida; sapor erat putridus; appetitus nullus. Alvus compressa dolorosa est. In regione coecali borborygmus auditur. Ardor, pruritus in ano et tenesmus aegrotam turbant. Oppressionis capitis et cutis status idem. Per diem sex alvi exonerationes.

Die 8. m. Jan. Somno gavisa est quieto. Status gastricus fere idem. Tenesmus est diminutus; quatuor exonerationes alvi. Status nervosus idem est, oppressio capitis diminuta. Tussis et sputa

parca; nonnullis thoracis locis rhonchus sibilans auditur. Pulsus centum ictuum.

Praescribitur: Solution. gummos. ℥vj; Tinct. op. simpl. ℈ß.

Die 9. m. Januarii. Somnus nullis somniis turbatus erat quietus, rubor linguae et integumentum glabrum auctum est.

Alvus non dolorosa, neque tensa; meteorismus non animadvertitur, mollis est; strepitus coecalis auditur. Status pulmonum idem. Urina parca, turbida, acida, sedimenta facit. Pulsus centum et octo ictuum. Excretio alvi nulla.

Die 10. m. Jan. Somnus erat quietus. Status gastricus, nervosus et pulmonum idem. — Solutio gummosa iterum praescribitur.

Vespertino tempore: cutis arida; urina parca, turbida sedimenta format et cuticula adiposa obtecta est. Sitis permagna. Affectio bronchiarum progreditur in ramificationes bronchiarum, quod ex crepitatione in utraque posteriori thoracis parte audita apparet. Urina flave rubra, turbida, acida. Excretio alvi nulla. Pulsus centum sex ictuum.

Die 11. m. Jan. Somnus continue perturbatus erat tenesmo, qui et nunc perdurat. Lingua in apice subsicca. Borborygmus et dolorositas in colo ascendente; praeterea status gastricus et nervosus idem. Crepitatio aucta est. Cutis glabra, non valde

calida est. Excretiones alvi sex consequutae sunt. Pulsus centum ictuum.

Solutio gummosa cum Opii tincturae ℈j reiteratur.

Die 12. m. Jan. Status gastricus idem est; alvus plena, mollis. Status nervosus idem; somnus fuit quietus. Crepitatio cessit. Tenesmus et pruritus ani auctus; excretiones alvi frequentiores.

Diebus sequentibus paullatim diarrhoëa et affectione bronchiarum diminuta, aegrota mox ad convalescentiam transibat.

3. Aegrotus B., die 22. m. Febr. in nosocomium caritatis receptus est. Aegrotus sedecim annos natus, parvus, debilis, viginti et unum diem ante frigore, defatigatione, et vomitu septem dies perdurante affectus est. Post remedium emeticum vomitus cessit. Die 17. m. Febr. omnium symptomatum intensitas increvit.

Status praesens. Post frigus vehemens per tres horas durans, conjunctum cum crepitu dentium ardor, vertigo, cephalaea sequuta est; aucta temperatura cutis, malae rubefactae sunt. Cutis est mollis, partim humida; urina parca, flava, acida, format sedimenta. Sitis magna est. Lingua glabra, obducta, lata, in marginibus et apice rubra. Sapor normalis, appetitus nullus. Alvus non est tensa, sed ubique dolorosa, obstructa. Ex percussione in sinistro thoracis latere ab octava inde costa sonus

emanat fractus. Sonus ex percussione in anteriori dextrae thoracis parte a quinta inde, in sinistra parte a tertia inde costa fractus, in posteriori parte rhonchus sonorus et sibilans auditur. Tussis frequens est et arida. In venis jugularibus id quod Galli: bruit de diablė nominant audiebatur.

Aegroto praescribuntur Calomel. gr v.; doses tres.

Die 29., m. Febr. Sudor largus per totam cutem calidam. Urina parca, flava acida sedimenta format. Lingua non obducta, humida. Alvus neque tensa, neque dolorosa. Tussis eadem quam die antecedenti. Sputa globosa, parca. Status pulmonum idem. Cutis arida, mollis, partim humida; urina saturata, rubra, turbida. Oppressio capitis aucta est. Excretio alvi una faeces flavas evacuat. Pulsus magnus centum ictuum. Aegrotae clysma applicatur, iterumque dosis Calomel. (gr. v.) praescribitur.

Die 25., m. Febr. Somnus quietus, interdum tussi interruptus. Sudor largus in toto corpore. Status nervosus et febris (pulsus octoginta sex ictuum) diminuta est. Lingua rubra est et humida; alvus mollis, non dolorosa. Urina parca, flave rubra, turbida, acida.

Applicatione clysmatis repetita, excretio alvi sequitur, sudor perdurat. Status nervosus et tussis eadem; pulsus 96 ictuum.

Die 26. m. Febr. Somnus fere nullus propter

tussim; somnia inquieta. Susurrus dextrae auris, dolor in tempore dextro, lingua albido obtecta est integumento, glabra. Alvus valde dolorosa sed non tensa est. Urinae et cutis status non mutatus. Excretio alvi una consequuta est. Pulsus irregularis, 88 ictuum.

Die 27. m. Febr. Somnus quietus fuit, sudor largus, cutis mollis est, urina flava, turbida, acida, larga. Capitis oppressio, susurrus auris *cesserunt*, Sapor et appetitus normalis. Pulsus 108 ictuum.

Die 28. m. Febr. Alvus neque tensa, neque dolorosa, tussis fere nulla. Somnus quietus, sudor largus. Urina flava large secreta; symptomata gastrica nulla.

Aegrotus nunc convalescentia gaudens, nonnullis diebus post sanus mittitur.

Non omittam, animos eorum qui haec lecturi erunt animadvertere in novum illud: in utroque ultimo loco allato casu id quod Galli bruit de diable nominant, quodque in chlorosi praeterea auditur, et hic esse inventum.

Has igitur historias aegrotorum, studiose et ut mihi videtur non inutile, in Ill. Schoenlein scholis clinicis persequutus sum.

Sed priusquam de hujus medendi rationis commodis ipsis loquamur, liceat nonnulla de therapia, quae alias in typho instituitur, afferre.

Valde inter se differunt variae methodi ad hunc morbum gravissimum curandum commendatae, quae quidem fere omnes tam inutiles, vel noxiae nonnunquam se praebuerunt, ut nunc, auctoribus praestantissimis nostris medicis, methodus exspectativa a plurimis omnibus aliis praeferatur.

Primus Ill. Schoenlein emetici remedii abusum in typho curando oppugnavit et damnum tam saepe aegrotis affectum perlucide demonstravit.

Sunt medici, qui morbum inflammationem habentes, aegrotis magnam sanguinis copiam detrahunt, quo vires debilitatas maxime exhauriunt et fere semper exitum infaustum provocant (Les saignées coup sur coup de Bouillaud et Broussais). Attamen casus etsi rariores existere possunt, ut vel in prima hic enarrata historia morbi factum videmus, in quibus depletionem sanguinis evitare non possimus.

Alii medici, statim ad extremum progressi, in usu scilicet medicamentorum stimulantium omnem salutem quaerentes moschum, camphoram quaeque sunt alia similia dabant. His igitur omnibus methodus illa exspectativa, jam supra dicta superat, quippe quae damnum non afferat aegroto.

Videamus nunc, quaenam sint virtutes methodi illius supra enarratae, et quandocunque ea uti possimus.

Hydrargyrum muriaticum oxydulatum primum a

medico militari Lesser commendatum et a Rosch et Sicherer saepius, haud frustra applicatum est.

Ut vero effectum optatum ex remedio nostro exspectare possimus, necessarium est initio tantum morbi eo uti. Simulac in stadium nervosum intravit aegrotus, non minus quam remedia jam enumerata, damno erit aegroto. Si vero primo typhi stadio obstructio alvi pertinacior indeque effecta oppressio capitis, vestigia susurrus aurium aegroto molestias ferunt, Calomelane facile hunc statum levaturi erimus.

Brevi tempore post datam secundam vel tertiam dosin Calomelanos, frequentes exonerationes alvi virides, molles, indeque levationem omnium molestiarum sequentem et convalescentiam subintrantem, videmus. Decursus morbi est interruptus, et complicationes solae si adsunt ut affectio apparatus respiratorii impediunt aegrotum, ne citius sanus evadat.

Dubium vero nullum esse potest, quin morbis illis longe enarratis, vere typhi nomen sit vindicandus.

Accedit alia quaedam virtus nostrae methodi. Etenim si recordari vis, in duobus casibus aegrotos gr. quinque, ter repetita, in uno scrupulum sumpsisse, differre nos videbis, ab omnibus qui adhuc sunt praedicantes usum Calomelanos, qui-

que a magnis tantum dosibus (℈β — ʒβ) bonum sperent effectum.

Quibus quidem causis omnibus jure contendere nobis licebit, Calomelas suo tempore i. e. antequam stadium nervosum accedit aegrotus, et praesentibus indiciis jam supra allatis, decursum typhi interrumpere posse et dignum esse remedium unicum quod multis in casibus methodo exspectativae praeferatur.

VITA.

Natus sum Mauritius Wiesenthal die XXVI mensis Martii a. MDCCCXXVI Gommern, oppido Saxoniae borussicae, patre Wolf, matre Joanna e gente Bendix, quos adhuc salvos pio gratoque animo veneror. Fidem confiteor veterem.

Primis litterarum elementis imbutus per septem annos Halis gymnasium frequentavi. Deinde maturitatis testimonio instructus, paschali tempore anni MDCCCXLV in eodem oppido ab Ill. Eiselen, t. t. Prorectore Magnifico et ab Ill. d'Alton t. t. Decano Spectatissimo Medicorum Ordinis civibus universitatis regiae adscriptus, per quatuor semestria in medicinae et chirurgiae studium incubui.

Per hoc biennium his interfui scholis:

Ill. de Schlechtendal de botanice;
Ill. Burmeister de zoologia;
Ill. Germar de mineralogia;
Cel. Steinberg de chemia;

Ill. Schweigger de physice;

Ill. Erdmann de psychologia;

Ill. Schaller de logice;

Ill. Friedlaender de materia medica nec non de methodologia artis medicae;

Ill. d'Alton de cuncta anatomia et arte cadavera rite secandi;

Ill. Volkmann de physiologia et de anatomia comparata;

Ill. Krukenberg de pathologia cum generali, tum speciali.

Inde Berolinum me contuli et apud Ill. Mueller t. t. Rectorem Magnificum, et Ill. Juengken t. t. Gratiosi Medicorum Ordinis Decanum Spectabilissimum nomen studiumque professus, tractantes audivi:

Ill. Juengken de chirurgia;

Cel. Boehm de akiurgia una cum operationibus in cadavere;

Cel. Troschel de arte fascias rite applicandi;

Ill. Schmidt de arte obstetricia;

Ill. Hecker de historia medicinae;

Ill. Mueller et Ill. Schlemm de arte cadavera rite secandi;

Cel. Virchow de anatomia pathologica.

Scholis interfui clinicis: medicis Ill. Wolff, Ill. Romberg et Ill. Schoenlein; chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Juengken, Cel. Angelstein et Ill. Langenbeck; obstetriciis denique Ill. Busch.

Quibus omnibus viris, de me optime meritis maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Tuberculosis et scrophulosis eadem.
2. Collodium optime operationes adjuvans remedium.
3. Inter physiologiam et pathologiam certus non est terminus.